

ret, audiret, loqueretur, sine dislocatione partium & distinctione officiorum in membris. Exemplo illi erat Sol, qui totus lucet, totus currit, totus calefacit, & nihil est in Sole, quod non luceat, quod non moueatur, quod non agit hoc, quod agitur. Quæ opinio quid commune cum secunda, quæque diuersum habeat, facile liquet. Nec dissimulo tamen, secundam ex hoc Origenistarum errore procul dubio duxisse originem, variatam autem tantum fuisse non nihil secundum tempora & ingenia eorum qui huius opinionis patrocinium susceperunt.

## CAPVT V.

## EXAMEN OPINIONUM singularium.

**R**ecitauimus hactenus paradoxa & opiniones veterum, nunc de iisdem instituendum est iudicium, vt ad veritatem patentior sita dxtus: ὃτε γὰρ γεωργὸς (inquit *Athenagoras*) δύναι' ἀν' ἀροισιὶ κόνι' ἡσθεῖ καὶ βάλειν τὴν γῆν καὶ σπέρματα, μὴ ἀροισιὶ καὶ τῆς ἀγρίας ὕλης καὶ καταβαλλομένοις ἡμέροις σπέρμασι λυμαίνονται.

*Neque enim agricola ante potest inspergere semen, nisi purgato agro à syluestri materia, illisque, quæ sementibus bonis noxam adferunt. Ita neque qui veritatem docet, persuadere potest, dum adhuc in animis habitat falsa opinio, quæ ipsis veri rationibus obsistit. Quamobrem nos quoque prius pro veritate, quam de veritate sermonem instituemus.*

EXA.